



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Vita Et Institutio S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1665**

XXV. Summa Ignatij in purgando animo cura, illius Examina, forma particularis examinis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

tus, & ab eo spretus eremitâ, vtrunque honorem, miraculo duplici recepit, leuitate socij spectro terribili firmata; & docto cœlitus eremita de vera Ignatij sanctitate. Romæ tandem à fœda hæretici nota, quam coniurati calumniatores ei impeerant; à nece quam illi ferebat sacrilegus; ob admissum in Societatem filium, & ab vno è suis pertinaciter aduersante, diuina bonitas illum eripuit: nam eisdem Romæ subministravit illi testes, quos in Hispania, Gallia, Italia, sanctimonix iudices laudatoresque habuerat; & vibratam in vulnus homicidæ manum repente siccauit (quæ pœnitudine postea in vsum rediit) & contumaciam socij se vlturum suscepit. Et vero huic in S. Ioannis Lateranensi Basilica, vir aspectu ferox flagello minatus est nisi Ignatio pareret, quod etsi terrore adactus fecit, eius tamen flagelli, tempore, & loco ictus sensit, cuius solo horrore ad futuri emendationem fuerat percussus.

Hac consensione animi & curarum, semper Deo Ignatius, Deus Ignatio studuit, quod est mutuo ardentem amantiam: in quo Ignatius, vt coram Gregorio XV. Cardinalis de Monte, eximie dixit, eius in arcano Cardinalium Senatu virtutes referens, *martyrum, & multorum renouauit exempla sanctorum, qui sui penitus obliui, de diuina gloria tantummodo laborabant.* Verum vt est amoris vnde quaque perfecti, sui propter Deum semper immemorem viuere, sic ad eius quoque excellentiam amoris pertinet; propter Deum, nunquam sui omnino obliuisci, hoc est habere seipsum semper in oculis, seipsum seueri examinis inspectione consulere, ad notandum ecquid forsitan inlit, quod Deo non satis placeat. Qua in re certo affirmari potest fuisse Ignatium summè exquisiteque diligentem. Hora ei exhibat nulla quin colligeret sese, & quicquid per illam dictum, actum, cogitatum sigillatim ad lydium vocaret, ita quot horis currit dies, vultu animæ cultiori, Deo se toties sistebat ornator, nouoque auctus proposito, sequentis horæ occupatione vincendi præteritam. Vbi ardet ingens Dei amor, ibidem splendet & magna lux, in hac vero quid Deo placitum, aut secus cernitur; & sollicitus vtrunque oritur ambitus amouendi ab sese næuum quantumuis leuem, & pæne oculos fugientem, etsi viris sanctis nihil leue, si Deo displicet, cuius cum vrantur quam sui amore flagrantius, vltro intuiti sint ignem quemuis ex quo emergant expiatiores, vt mirum non sit ad hoc quamlibet illos diligentiam adiuuere, vel crebrum examen, vel acerbis de seipsis pœnas. Aurum præterea diuinæ caritatis à metallico distat, cui ad supremam, natura vel arte, obfusam excocto, nihil dici potest ad auri excellentiam deesse; operibus vero caritatis sua inde perfectè dignitas, & excellentia, non constat quod concreione aliena insensibilium quoque defectuum nihil eorum legi aut pretio decedat. Sancti enim viri, Deo eiusque amore incensi, suam Deo vitam solent opponere; hoc est qualem, & vellent, & esse deceret attendere, vt digna Deo esset, ad quem cum nihil sit tam sanctum, quin multo vitio scateat, hinc sua omnia velut officio, rectoque imparia, lance assidua trutinant, ac nouo meliorum

## XXV.

*Summa Ignatij in purgando animo cura, illius Examina, forma particularis examinis.*

proposito expoliunt semper, & absoluunt. Quæ humilitatis caritatisque palestra perpetua magnos breui progressus virtuti adiicit, in hac Ignatius cum exerceretur assiduitate semper acri, & vegeta, illorum mentem capere satis non poterat, qui cuperent quidem Deo perplacere, & in agone pietatis eminere; hanc tamen cordis interrogandi, expiandi, perficiendi frequentiam strenuam fisdéque haberent. Vnde illud eius, visum patri cuidam valde mirum, qui roganti quoties animum eo die ad examen vocasset, cum responderet iam septies, hem! ait Ignatius, tam raro: quamuis multæ ad noctem etiam tum restarent horæ. Præter hanc sui inspectionem tam crebram, & sedulam, & prolixiores duas de media die, & ante somnum, aliam in usum reuocauit; antiquorum patrum inuentione consecratam, sibi que Manresa ab eodem illorum magistro spiritu suggestam. Examen ab eo particulare nominatur, quod in expugnando singulari aliquo vitio tandiu occupetur, dum id radicitus extirparit. Est hoc inter alia mirè potens ad animi scoriam breui tempore absumentam, obtinendamque puritatem conscientie illibatam, si tamen præscriptis ab eo regulis peragatur. Harum aliquot hic describam vtilitati magis legentium ad imitationem consulturus, quam piæ curiositati ad cognoscendam viri sancti industriam. Igitur vis omnis cum tanto in hostes singulos exumpat lentior, quanto in multos exerta diuiditur, raro integrâ potitur victoriâ, etsi continuo prælietur: ex quo fit, vt præter communem contra omnes pugnam, singulare seorsim cum vno aliquo certamen, cautiùs ineatur, isque ante alios petendus quem magis auersatur Deus, vel quia capitalior per sese, vel quia damnosior. Mane prima sit euigilantis hæc cogitatio, & ardor, pugnandi cum eo defectu quem expugnandum legerimus, poscendique ad hoc à Deo robur, & animum: sit deinde ad manum consuta in libellum carta, cuius pagina qualibet quatuordecim signetur lineis, quæ dies hebdomadæ, septem binariis referant, sic tamen vt sequens linea præcedenti sit semper breuior. Harum enim est usus ad subducendam secum quotidie bis ratiunculam; ante pradium excutienda pars diei transacta, signandûmque transuersis tot prima in linea ductibus, quot nobis contigerint in vitium lapsus cui debellando attendimus; idemque serò factitandum. Quod autem sperare ratio suadeat fore semper lapsus numero pauciores, ob id prioribus, posteriores lineæ ducuntur breuijores. Quanquam duci longius primis oporteret, si conferretur id examen in actus virtutis alicuius complures quotidie edendos: nec putet fortassis inconsulta cuiusquam grauitas nimis puerilem suorum hanc lapsuum geminam computationem. Valet primum ad tempus cum matutino pomeridianum; hodiernum hesternum; exactam hebdomadam, superiori conferendam, & videndum ecquid in melius, vel in deterius itum sit, ac inuestigatis labendi causis, de cætero cautiùs iis occurrendum. Valet eadem ad æquandâs vtcumque cum Deo rationes, offensio-num vnâquamque pœnis singulis exsoluendo: ita Ignatius importunam suam ridendi consuetudinem peculiari examine impugnans, quoties risisset,

fisset, totidem sibi catena ferrea inflictiis plagis noctu exfoluebat. Quin & interdium mox, vt errasse se viderat, sublatis statim ad Deum oculis, vel admota pectori, quasi aliud agens, manu, veniam tacite precabatur; ac Manresa dum egit, vt numerum lapsuum teneret quos per exaamen ferotinum animaduertisset, nodis illos signabat fune quo praecegebatur implicitis.

Tam incensa Deo placendi studia, cum æquali eiusdem amore, ac diligentia tam exquisiti tribunalis, coniuncta; dici non potest Ignatij animum quàm sublimem leuarint, ad purgatissimam sanctitatem: mille in se suaque omnia apertos pandebat oculos, vt qui Deo adstaret continenter, eiusque ex se pulcherrimam in qua totus hærebat speciem optaret quantum fas homini referre, atque omnem horreret labeculæ umbram, qua in oculis Dei formosus animæ obscuraretur nitor; accedebat his auulsum, & liberum à creatis pectus, vnum in iis amans & appetens Deum, & in eo vno vniuersa. Nihil erat in humanis, cuius voluptate, aut desiderio tangeretur, & perinde habebat iis prorsus carerere, quàm supremo iure omnibus dominari; præter Deum enim flocci omnia pendere, extra illum cuncta, quantacumque hæc forent infinitis sub illo abiecta spatiis spectare, ac pro nihilo spernere, summa eius votorum apud Deum solaque ambitio Deum diligere, & in eius amoris pretium, amando crescere. Hoc vt impetraret à primo vitæ mutatae initio concinnauerat sibi hanc preculam, quæ nisi ad homines virtute perfectos non pertinet, si non ore tenus, sed ex animo recitetur. *suscipe Domine vniuersam meam libertatem; accippe memoriam, Intellectum, atque voluntatem omnem, quicquid habeo, vel possideo mihi largitus es, id tibi totum restituo, ac tua prorsus voluntati irado gubernandum. Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, & diues sum factus, nec aliud quicquam vltra posco.* Alia est, pio multorum vsu frequentata cuius initium. *Anima Christi sanctifica me, &c.* & Sancto Ignatio attributa, opinor quod eam non raro includit, meditationum suarum colloquiis; ex quo etiam natum putem, vt in requirendo illius auctore minus diligentes, suis libris eam vulgauerint velut proprium sancti viri partum; at ea cuiuscumque tandem, non est planè S. Ignatij, legi enim illam in libro Lugduni ann. 1499. typis impresso, cum esset tum octennis Ignatius: addebatürque recitaturis præscripto tempore, indulgentia pœnarum; at Bonifacius, etsi sit eius nominis postremus, sæculo integro Ignatium præcessit. Itaque nihilo segnus quæcumque gessit, facturus fuerat, tametsi nulla in futurum, meritis præmia, Deus poluisset, siquidem nulla re caritas generosa in nifus heroicis diuinæ gloriæ potentiùs rapitur, quam Dei ipsius dignitate, atque ipsomet Deo: inde illa eius, vt de Paulo agens Chrysostomus loquitur, *amoris insania*, qua securitatem propriæ salutis securitati posthabuit diuini honoris: nam si daretur optio ex hac vita, statim certoque in aliam, æternum beatam transeundi; vel in hac hærendi, sed incertum illius obtinendæ, certum tamen augendæ animarum lucto, diuinæ gloriæ;

XXVI.

*Rebus terrenis omnibus superior Ignatij animus.*